

Vati Aurora suo (a) retulit, vel quae dabit illi (b)
 Calliope, Hesperidum qui nemora, & silvas,
 Felices citro silvas, nemora aurea, cantat
 Arni dilectus Najasin, ac Tyberis. (c)
 Non itidem quæ digna manent te dona Lucreti,
 Cui furor, & dulces Virgilii veneres,
 Et bona, quæ magnis dat sparsim rara poetis
 Phœbus, cuncta uni sunt data; uti doceas
 Fulguraque, excitosque ignes, strepitumque, ictusque,
 Et si quæ prodit mira alia, atque alia
 Nomen ab electro clarum quæ machina duxit.
 Te septemgeminio vertice Roma probat,
 Ac veterem eloquii sibi fors promittit honorem,
 Qualem olim Augusto sceptrum tenente habuit.
 Salvete o vates vatium decus! O mihi mollem
 Reddite vos Phœbum, vos facite Aonides
 Me quoque respiciant vestigia nota sequentem
 Illius, qui meme institit in nemora
 Ducere florentis Pindi. Atqui fausta dedere
 Signa Deæ. Primus jam labor haud cecidit
 Irritus: en nostris plaudit conatibus Echo
 Educta e latebris lumen in Aonium.
 Ah quid agis? Plausus non hic mihi debitus; ista
 Non mihi, verum illi laus tribuenda viro,
 Cujus ego auspiciis quidquid nunc carmine possum,
 Vel potui, posthac vel potero, tribuam.

(a) *Carolus Nicetius S. J. vulgavit duo poemata, alterum de Iride, alterum de Aurora Boreali.*

(b) *Antonius Ambrosius S. J. habet in manibus poema de cultu citrorum.*

(c) *Josephus Mazzolarius S. J. propealtem editurus est in lucem poema de vi electrica.*